



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Munichmunsteriensie Monasterium, in Bauaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

cul à Chiemensi lacu, Burgilium castellum suum in templum vertit, D. Lamperto dedicauit, tradiditque Benedictinis monachis. Incolæ à lacubus, qui ibi sunt frequentes, vocant *Socum*. Henricus Sanctus, hoc & alia monasteria largiter locupletauit.

Vlricus Abbas Seunensis & conuentus elegerunt Ludouicum Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ in Aduocatam & protectorem suum vigore priuilegiorum suorum, tam Pontificiorum quàm Imperialium, ita vt post illius obitum siue pater, siue alij ipsius proximi agnati eandem aduocatiam irreuocabiliter tenerent, alij verò nemini eandem concederent, monasterij priuilegia & iura defenderent. Extat latinum diploma, datum anno 1247. Ita Hundius.

Munichmunsteriense Monasterium, in Bauaria.

Istud monasterium ad Danubium infra Vohburg fundauit *Drepoldus* Marchio de Vohburg, huius nominis quartus, qui duo insuper alia monasteria, *Reichenpach* & *Vvaldsassen*, fundauit: secundum Laurentium Hochvart, in Catalogo Episcoporum Ratisbonensium.

Hoc monasterium olim ab Vgris exustam, Henricus nonus, Dux Bauariæ & Deipoldus Vohburgensis Marchio, pro Benedictinis monachis instaurarunt: vt scribit Auentinus.

Ludouicus Dux Boiariæ confirmauit huic

1264.

monasterio parochiam in Moching, quæ antiquitus huc pertinebat. In illis literis nominat Arnoldum Ducem Boiariæ tyrannum, propterea quòd monasterium magnis malis adfecerat. Testes Albertus Lenzmannus, Albero de Prugperg, Hadmarus de Laber, Meinhardus Comes de Roteneck, Vvinhardus de Rorbach, Otto & Vlricus fratres de Lapide, Albertus Schilvvaz, Iordanus de Starzhausen, Otto de Vverd, Dietricus de Sanderstorf, Berchtoldus de Vvackerstein, Marquardus de Gruenharzhouen, Henricus & Vlricus, fratres de Otling, Vlricus Marschalcus dictus de Perge, Conradus de Munster. Datum Ilmendorf anno 1264.

Extitit in hoc monasterio liber antiquissimus in membranis cõpactus, in quo descriptæ sunt vitæ Sanctorum, à Paschasio è Græca lingua in Romanam translata, Item Hilarion D. Hieronymi ad eò antiquis litteris, ut lectori repuerascendum, & ad prima elementa redeundum sit. In fine hæc verba leguntur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, anno Domini 918. IV. Non. Iunij, & perfinitus apud S. Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quinta decima.* Meminit Ioannes Auëtinus lib. Annalium 4. quem post diligentem inuestigationem anno 1580. ibi non reperi; puto autè translatum esse Monachium ad bibliothecam Ducalem vnà cum quibusdam alijs libris.

Ita Hundius in Metropoli sua Salisburgensi.

CAP.